

neque per iudicem, neque per quamcumque personam res Ecclesiæ, vel eorum propriæ, quousque aut testamentum, vel qualemcumque obligationem fecerit, cognoscatur, a nullo penitus supradicta res contingantur; sed ab Archidiacono vel Clero in omnibus defendentur & conseruentur. Quod si quis immemor hujus definitionis temere aliquid exinde auferre presumpserit, aut ausu temerario in res ipsas ingressus fuerit, & de dominatione Ecclesiæ abstulerit: ut necator pauperum communione priuetur. Similia repetuntur hujus Concilii canone 10.

3. Can. X. Et quia multæ tergiversationes infidelium Ecclesiæ Dei quarum collatis priuare donariis, secundum constitutionem precedentium Pontificum id conuenit inuoluntabiliter obseruari, ut Testamenta, quæ Episcopi, Presbyteri, seu inferioris Ordinis Clerici, vel donationes, aut quæcumque instrumenta propria uoluntate confererint, quibus aliquid Ecclesiæ aut quibuscumque personis conferre uideantur, omni stabilitate subsistant, specialiter statuentes, ut etiam si quorumcumque Religiosorum uoluntas, aut necessitate, aut simplicitate faciente, a legum secularium ordine uisa fuerit discrepare, uoluntas tamen defunctorum debeat inconuulsa manere, & in omnibus DEO auspicio custodiri. De quibus rebus, si quis anime suæ contemptor aliquid alienare presumpserit, usque ad emendationis suæ uel restitutionis rei ablata tempus, a consortio Ecclesiastico, uel a Christianorum conuicio habeatur alienus.

Canon iste iisdem uerbis de promptus est ex can. 2. Concilii secundi Lugdunensis anni 567. sub Joanne Papa III. & huc pertinet Carthaginensis Concilii IV. can. 95. & Vasonensis seu Valentis can. 4. & Arelantenis II. can. 47. & Maticonensis I. can. 4. & c. qui oblationes, 13. q. 2.

Can. XII. Illud etiam unanimes consensu conuenit, quod si quis Monachus aut Monacha in Congregatione postea religiofam conuersationem elegerint, & postea aut ad parentes, aut ad propriam quamcumque substantiam se de Congregatione ipsa subtraxerint, & ab Episcopo suo per Epistolam admoniti ad septa Monasterii sui redire distulerint, sint usque ad exitum uite a communione suspensi, nec prius ad Eucharistiæ gratiam admittantur, quam ad uile suum, de quo se uagationis insolentia uisi sunt subtraxisse, cum humillime supplicationis satisfactione fuerint reuersi. Reperitur iste can. lib. 7. Capitul. Caroli Magni, cap. 256.

4. Can. XIV. Incestas uero conjunctiones ab omni Christianorum populo censuimus specialiter rescari: ita ut si quis relictam fratris, sororem uxoris, priuigiam, consobrinam, sobrinam, uel relictam; item patris, atque uoculi, uel in religionis habitu debitam conjugii crediderit consortio uiolandam, tandiu a communionis gratia segregetur, quamdiu ab illicitis conjunctionibus sequestratione manifestissima debeat abstinere.

Has eadem conjunctiones ut incestuosas prohibuerat Concilium Epauense can. 30. & cum utrobique damnentur sobrinorum conjunctiones, multo magis damnasent inter patruos aut auunculos cum neptibus ex fratre uel sorore; ideoque, ut referunt Nicephorus Patriarcha in Breviario, Zonaras, & Cedrenus, gravem apud fideles omnes incurrit offensionem Heraclius Imperator, quando Martinam ex sorore sua neptem sibi sumpsit uxorem, una enim generatione minus distant patruus & neptis, quam consobrinus.

5. Singulos hujus Concilii canones Clotarius secundus Rex suo edicto roborauit. Ad canonem uero 4. qui est de Clericorum a iudiciis secularium Officialium exemptione, hac constituit Rex Clotarius: Ut nullus iudicem de quolibet Ordine Clericos de civilibus causis præter criminalia negotia per se distingere aut damnare presumat nisi conuincitur manifestus; excepto Presbytero aut Diacono. Qui uero conuicti fuerint de crimine capitali, iuxta Canones distringantur, & cum Pontificibus examinentur. Quod si causa inter personam publicam & homines Ecclesiæ steterit, pariter ab utraque parte præpositi Ecclesiarum & iudex publicus in audientia publica postea ea debeant iudicare. Concilium Remense an. 625. can. 3. de canonicis hujus Concilii sic decernit: Ut capitula canonum Parisiis acta in generali Synodo, in Basilica Sancti Petri, Clotarii Regis studio congregata, omni firmitate custodiantur.

CONCILIIUM HISPALENSE II.

Anni Christi. 619.

Huic præedit notissima sanctitatis & doctrinæ Igodorus Hispalensis Metropolitæ, regnante in Hispaniâ Sisebuto, tempore Bonifacii Papæ V. Nouem interfuere Episcopi, si his accensas Syrum quemdam aduenam Episcopum, qui eodem in Concilio ab Acephalorum secta post disputationum certamina tandem conuersus & convictus orthodoxam amplexus est fidem. Gathias Loasii testimonium istud de Concilio isto provinciali perhibet, esse eruditum & doctum, juris Canonici atque Civilis sapientia reuerens, ita ut appareat a Viris eruditione diuina & seculari præstantibus esse editum.

Can. I. Prima actione Theodulphi Malacitanæ Antistitis Ecclesiæ ad nos oblata precatio est, asserentis antiquam ejusdem urbis parochiam militaris quondam hostilitatis discrimine fuisse decisam, & ex parte aliqua ab Ecclesiis Astigitana, Eliberitana, atque Agabrensis urbium esse retentam. Pro qua re placuit, ut omnis parochia, quæ ab antiqua ditione ante militarem hostilitatem retinuisse Ecclesiæ suam comprobaret, ejus privilegio restitueretur. Sicut enim per legem mundialem, his, quos barbarica feritas captiua necessitate transeuerit, postliminio reuertentibus redditur antiqua possessio; non aliter est Ecclesiæ receptura Parochiam, quam ante retinuit, cum rebus suis, siue ab aliis Ecclesiis possideantur, siue in cuiuslibet possessionem transfusa sint. Non enim erit obicienda prescriptio temporis, ubi necessitas interest hostilitatis.

Ea porro lex mundialis hoc loco memorata habetur Cod. de captiuis & postlim. reuerf. l. si quos & l. fin.

Can. II. Secundo examine inter memoratos fratres nostros, Fulgentium Astigitanum, & Honorium Cordubensem Episcopos, discussio agitata est propter parochiam Basilicam cususdam, quamobrem alter Celibonensem, alter Regensem asseruit. Et quia inter utrasque partes hætenus limitis actio uindicta est, (cujus quomodo uetusta retentio nullum juris præjudicium afferret) ideoque ne in dubium ultra inter eos nostra aduocaretur sententia, prolatis canonibus synodalia decreta perlecta sunt, quorum auctoritas præmonet ita oportere inhiberi cupiditatem, ut ne quis terminos alienos usurpet. Ob hoc placuit inter alteras partes inspectionis uiros mittendos: ita ut sit in diuici possidentis (si tamen Basilicam ueteribus signis limites præfixis monstrauerit) Ecclesiæ, cuius est iusta retentio, æternum dominium. Quod si & limites legitime eandem Basilicam non concludet, & tamen longi temporis probatur abiectione præscriptio, appellatio repetentis Episcopi non ualebit, quia illi tricenarius obiectio silentium ponit: hoc enim & secularium Principum edicta præcipiunt, & Presulum Romanorum decreuit auctoritas. Sin uero infra metas tricennalis temporis extra alienos terminos Basilica iniusta retentio reperitur, repetentis Episcopi iuri sine mora restituetur.

Tricennalis siue Tricenaria, hoc est trigina annorum, præscriptio hac parte etiam in rebus Ecclesiasticis asseritur, secundum Theodosii constitutionem, l. 1. Cod. Theod. de action. cert. temp. fin. Concilium quoque Chalcedonense can. 17. ita decernit: Per singulas Ecclesias parochias rurales siue in possessionibus manere immobiles apud eos, qui eas retinent Episcopos, & maxime si eas sine uolentia iam per triginta annos tenentes gubernauerunt. Quamuis autem pro diversorum Imperatorum libidine post tempora Theodosii præscriptio Ecclesiastica fuerit ad usque centum annos prorogata; deinde ad quadraginta annos reducta; in Hispania tamen (ubi ciuitas Hispalensis inter primarias censebatur) edixerat Alaricus Visigothorum Rex Codicem Theodosianum ubique seruari. Insuper œcumenica Synodus VIII. sub Hadriano Papa II. habita can. 18. subiicit anathemati eos, qui litem movent contra Ecclesiam de rebus ab eadem pacifice per annos triginta possessis. Sanctus tamen Papa Gregorius lib. 1. epist. 9. ann. 5 assignat quadraginta ad subuocandum quemcumque peccatorem, etiam ipsam Romanam Ecclesiam, si quid iuris in eam reus tanto tempore possessam prætenderet. Ecclesiasticam quoque præscriptionem annis quadraginta limitat Carolus Magnus lib. 5. cap. 389.

Quod demum attinet ad alienorum Episcopatum fines, horum inuasionem quocumque preteritu fieri prohibet Concilium Carthaginense anni 348. sub Grato Episcopo Carthaginensi celebratum can. 10. Similiter & aliud Cartha-

Concilium Hispanense II. ann. 619.

Carthaginense sub Genethlio Episcopo pariter Carthaginensi habitum anno 397. can. 20. His adde Gelasii primi epistolam 10. ad Episcopos Sicilia, de non auferendis bonis ab Episcopis triginta annorum possessione subnixis.

Can. III. Tertia definitione ad nos oblata, precatio est a Reuerendissimo fratre nostro Cambrane Italicensi Episcopo pro quodam Clerico Ipsassando, qui deserens Ecclesiæ cultum suam, in qua dicatus ab exordii infantie suæ fuerat, ad Ecclesiam Cordubensem se contulit; quem elegimus, ut si nihil proponeretur de eo, citra dilationis obiecta proprio reformaretur Episcopo: scribitur enim in lege mundiali de colonis agrorum, ut ubi esse jam quisque cepit, ibi perdat. Non aliter & de Clericis, qui in agro Ecclesiæ operantur, Canonum decreto præcipitur, nisi ut ibi permancant, ubi coperunt. Ideoque placuit, ut si quis Clericus Ministerii propria Ecclesiæ destitutus, ad aliam transiit fecerit, compellente ad quem fuerit Sacerdote, ad Ecclesiam, quam prius incoluerat, reuertatur. Qui uero eum susceperit, nec statim sine ullo nisi exceptionis ad propriam Ecclesiam remittendum elegerit, quando eum restituit, communi se priuatum agnoscat. Desertorem autem Clericum cingulo honoris atque Ordinis sui exutum, aliquo tempore Monasterio deligari conuenit, sique postea in Ministerio Ecclesiastico Ordinis reuocari. Nam non poterit in talibus peruagationibus aboleri licentia, nisi fuerit in eis propter correptionem disciplina subsecuta censura.

De Clericorum intra propriam Ecclesiam præcepta stabilitate isto precedenti canone, & de penis eos citra proprii Episcopi litteras formatas recipientium, reuise superius Nicenæ magnæ Synodi can. 16. & canones plerisque eodem pertinentes inibi a nobis congestos. Quibus adde sancti Leonis Magni functionem in epist. 12. alias 84. ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum, cap. 8. quo loco iubet translatum ab una in alteram Ecclesiam utraque simul priuari. Canon iste Hispalensis refertur in Decreto Gratiani, can. placuit, 21. q. 2. Porro leges mundiales, quas canon hic adducit in exemplum & confirmationem, sunt l. omnes omnino, & l. omnino profugi, l. originarios, l. seruos, l. cum satis, Cod. de agricol. & censit. lib. 11.

Can. VIII. Octauo discussio agitata est de quodam Elisæo ex familia Agabrensis Ecclesiæ, qui ab Episcopo suo traditus libertati, de libertate confessum ad contumacia morbum transiit: sique per superbiam non solum ejusdem Episcopi ueneficis artibus salutem ledere uoluit, sed etiam patronam Ecclesiæ libertatis inmemor prædam nauit. Aduersus quem ingrati actio canonum ac legum auctoritate iuste dirigitur, scilicet ut immerita libertatis damno multatus ad seruitiū nexum, in quo natus est, reuocetur. Talium enim statum, qui contra Episcopum suum uel patronam Ecclesiam mittuntur, decidi potius quam conseruari conuenit: quorum libertas perniciosa est, sit saluifera seruitus; & qui superbie noverunt adeptæ libertate, discant obedire subiecti.

Justitiæ consentaneum axioma est: Privilegium meretur amittere; qui concessa sibi abutitur potestate, c. privilegium, 11. q. 3. & cap. tuarum, §. uerum, de uiril. Itaque libertus iste ad pristinam erat seruitutem reuocandus.

Can. X. Prouidetur, ut Monachi directioni Monasterii præficiantur, præscriptis tamen legibus, quas inuoluntate seruent. Undecima actione consensus communi decernimus: ut Monasteria Virginitatis in Botica condita Monachorum administratione ac presidio gubernentur. Tanc enim salubria Christo dicatis uirginibus prouidemus, quando eis Patres Episcopi tales eligimus, quorum non solum gubernaculis tueri, sed etiam doctrinis adificari possint: ea tamen circa Monachos discipline cautela seruata, ut remoti ab earum familiaritate, nec usque ad uestibulum habeant accedendi familiaris permittunt. Sed nec Abbati, uel ei qui præficiuntur, extra eam que præst, loqui uirginibus Christi aliquid, quod ad institutionem morum pertinet, licebit: nec cum sola qua præst, frequenter ei loqui oportet, sed sub testimonio duarum aut trium sororum; ita ut rara sit accessio, & breuis omnino loquutio. Abstine enim ut Monachos (quod etiam dictu nefas est) Christi uirginibus familiares esse uelimus: sed iuxta quod iusta regularum uel Canonum admoent, longe distretos atque sequestros eorum tantum gubernaculis deputamus: constituantes, ut unus Monachorum probissimus eligatur, cuius cura sit prædis earum urbanis & rusticabus, Notitiæ Ecclesiasticæ.

sticis intendere, fabricas extruere, uel si quid ad necessitatem spectat Monasterii, providere, ut Christi famula pro anima sua tantum utilitate sollicita solis Diuini cultibus uiuant, operibusque suis inserviant. Sane is qui ab Abbate præponitur, iudicio sui Episcopi comprobetur. Vestes autem ille iisdem faciant, a quibus tuitionem expectant; ab eisdem denuo (ut prædictum est) laborum fructu & præcuratoris suffragium receptura. Si qui autem Monachorum hanc ordinationem aut contempserint, aut qualibet inertia dissolutione neglexerint; sciant quod eorum tepor atque superbia excommunicationis sit plectenda censura.

Similia Basilii Magni passim in suis Regulis prouidet circa familiaritatem & colloquia Monialium cum Monachis, etiam præfectis. Canonis hujus pars habetur cap. in decima, 18. q. 2. Huic consonat Carthaginensis Concilii quarti can. 97. dicens: Qui religiosi feminis præponendus est, ab Episcopo loci comprobetur. Concilium Aquigranense sub Ludouico Pio celebratum continet toto libro 2. pleraque monita de Monialium institutione, cuius caput 20. incipiens: Quia uirorum frequentia &c. præcipit, ut Abbatissæ tres aut quatuor eligant sanctimoniales uite probabiles, quæ intersint ceterarum Monialium colloquiis cum adueatantibus uiris. Istis Hispalensium Patrum decretis apprimè quadant ista, quæ tradit Augustinus lib. 1. de moribus Ecclesiæ cap. 31. Vita etiam, inquit, feminarum Deo sollicitè castèque seruiendum, quæ habitaculis segregata ac remota a uiris quam longissime decet, pia tantum illis caritate iunguntur, & imitatione uirtutis: ad quas uerum nullus accessus est, neque ipsorum quamuis grauissimorum, & probatissimorum hominum nisi ad uestibulum usque necessaria præbendi quibus indigent gratia. Lanificio namque corpus exercent atque sustentant, uestesque ipsas fratribus tradunt, ab iis inuicem, quod uictui opus est, resumentes. Hos mores, hanc uitam, hunc ordinem, hoc institutum si laudare uelim, neque digne ualeo.

Actione 12. Synodum ingreditur quidam ex hæresi Acephalorum Episcopus natione Syrus, duarum (ut isti Patres loquuntur) in Christo Naturarum proprietatem abnegans, & Deitatem passibilem afferens. Hunc pertinacius renitentem multis sacrorum librorum testimoniis, & rationum Theologicarum machinis ad rectam fidem adducere fatigant; ac postremo convictum, suamque sectam ejurantem in communionem fidelium admittunt: Synodumque doctissimo tractatu concludunt, quod hæresis illa (quam primus inuexerat Eutyches) ualidissime profigatur.

CONCILIIUM TOLETANUM IV.

Ann. Chr. 633.

1. URgente piissimo Hispaniarum Rege Sisenando, qui & Concilio interfuit, sedente Romæ Honorio Pontifice, Ara Hispanica 661. anno Christi 633. celebratum est Toleti ex uersa Hispania & uicinia Galliarum Concilium sexaginta duorum Episcoporum, præter Vicarios septem absentium Antistitum. Sex interfuerunt Metropolitani, ex quibus qui præfedit, fuit Isidorus Hispalensis, secundus Selua Narbonensis, tertius Stephanus Emeritensis, quartus Julianus Braacarenfis, quintus Iustus Toletanus, sextus Audax Tarraconensis, Metropolitani omnes.

2. Can. III. Nulla pene res discipline mores ab Ecclesiâ Christi depulit quam Sacerdotum negligentia, qui contemptis Canonibus ad corrigendos Ecclesiasticos mores, Synodum facere negligunt. Ob hoc a nobis uersaliter definitum est, ut quia iuxta antiqua Patrum decreta bis in anno difficultas temporum fieri Concilium non sinit, saltem uel semel a nobis celebretur; ita tamen ut si causa fidei est, aut qualibet alia Ecclesiæ generalis, totius Hispaniæ & Galliarum Synodus conuocetur; si uero nec de fide, nec de communi Ecclesiæ uirtute tractabitur, speciale erit Concilium uniuscuiusque Prouincie, ubi Metropolitanus elegerit, peragendum. Omnes autem qui causas aduersus Episcopos, aut iudices, aut potentes, aut contra alios quoslibet habere noscuntur, ad idem Concilium concurrant; & quæcumque examine Synodali a quibuslibet prave usurpata inueniuntur, Regis executoris instantia, iustissime his, quibus iura sunt, reformentur; ita ut pro compellendis iudiciis uel secularibus uiris ad Synodum, Metropolitanis studio idem executor a Principe postuletur.

Obserua in causa fidei, aut communis Ecclesiarum disciplinæ, nationalem esse Synodum conuocandam. N. 4. Præterea